



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

2 Vtrum gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum &
donorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

Verum gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum & donorum.

Inf. q. 82. ar. 7. ad secundum Et 4. a 7. q. 2. ar. 2. q. 3. & d. 17. q. 1. ar. 4. q. 5. 12. q. 110. ar. 1. & 4.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod gratia sacramentalis non addat aliquid super gratiam virtutum & donorum. Per gratiam enim virtutum & donorum perficitur anima sufficienter, & quantum ad essentiam animae, & quantum ad potentias eius, ut patet ex his, quae in secunda parte dicta sunt. Sed gratia ordinatur ad animae perfectionem. Ergo gratia sacramentalis non potest aliquid addere super gratiam virtutum & donorum.

2. Præterea, Defectus animae ex peccatis causantur. Sed omnia peccata sufficienter excluduntur per gratiam virtutum & donorum: quia nullum est peccatum, quod non contrarietur alicui virtuti. Gratia ergo sacramentalis, cum ordinatur ad defectus animae tollendos non potest aliquid addere super gratiam virtutum & donorum.

2ib 8. text. p. 303.

3. Præterea, Omnis additio vel subtractio in formis, variat speciem: ut dicitur 8. Metaph. Si ergo gratia sacramentalis addat aliquid super gratiam virtutum & donorum, sequitur, quod equivoce dicatur gratia. Et sic nihil certum nobis ostenditur, ex hoc, quod sacramenta dicuntur gratiam causare.

Sed contra est, quod si gratia sacramentalis non addit aliquid super gratiam donorum & virtutum, frustra sacramenta habentibus & dona & virtutes, conferrentur. In operibus autem Dei nihil est frustra. Ergo videtur, quod gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum & donorum.

12 q. 110. ar. 6. & 7.

Respondeo dicendum, quod (sicut in secunda parte dictum est) gratia secundum se considerata, perficit essentiam animae, in quantum participat quandam similitudinem diuini esse. Et sicut ab essentia animae fluunt eius potentiae, ita a gratia fluunt quaedam perfectiones ad potentias animae, quae dicuntur virtutes & dona, quibus potentiae perficiuntur in ordine ad suos actus. Ordinantur autem sacramenta ad quosdam speciales effectus necessarios in vita Christiana: sicut baptismus ordinatur ad quandam spiritualem regenerationem, qua homo moritur virginitatis, & fit membrum Christi. Qui quidem effectus est aliquid speciale præter actus potentiarum animae. Et eadem ratio est in alijs sacramentis. Sicut igitur virtutes & dona addunt super gratiam communiter dictam, quandam perfectionem determinate ordinatam ad proprios actus potentiarum, ita gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, & super virtutes & dona, quoddam diuinum auxilium ad consequendum sacramenti finem. Et per hunc modum gratia sacramentalis addit super gratiam virtutum & donorum.

Ad primum ergo dicendum, quod gratia virtutum & donorum sufficienter perficit essentiam & potentias animae, quantum ad generalem ordinationem actuum animae. Sed quantum ad quosdam effectus speciales, qui requiruntur in vita Christiana, requiruntur sacramentalis gratia.

Ad secundum dicendum, quod per virtutes & dona excluduntur sufficienter vitia & peccata, quantum ad praesens & futurum. In quantum scilicet, impeditur homo per virtutes & dona a peccando. Sed quantum ad præterita peccata, quae transiunt actu & permanent reatu, adhibetur homini remedium specialiter per sacramenta.

Ad tertium dicendum, quod ratio sacramentalis gratia se habet ad gratiam communiter dictam, sicut ratio speciei ad genus. Unde sicut non equivoce dicitur animal communiter dictum & pro homine sumptum: ita non equivoce dicitur gratia communiter sumpta & gratia sacramentalis.

COMMENTARIVS.

Per gratiam virtutum & donorum intelligit D. Tho. gratiam habitualem, quae est in essentia animae, & virtutes infusas, cum donis Spiritus sancti.

Queritur autem, non, an sacramentalis gratia distinguatur ab hac gratia virtutum & donorum, sed, an aliquid illi addat: itaq; sentit (quod notandum est) gratiam, quae est effectus sacramentorum, primum omnium supponere, atque includere hanc gratiam virtutum & donorum, & hoc fuit tanquam probatum articulo præcedenti, hic vero inquit, an aliquid addat. Et hoc sensu est facilis responsio D. Tho. scilicet, hanc gratiam addere auxilium aliquod præter gratiam virtutum & donorum: vbi nomine auxilij intelligendum est vel auxilium proprie dictum, quod ad operandum datur, vel quicunque specialis effectus gratiae, qui ratione sacramenti confertur: nam singula sacramenta ad speciales fines & effectus ordinantur, & ideo necesse est, ut aliquid speciale conferant. Quae est summa rationis D. Thom. & ita est facilis tota littera articuli præter solutionem ad tertium, vbi dicit, hanc gratiam sacramentalem comparari ad gratiam in communi, sicut speciem ad genus, quod explicabimus inferius de re disputantes.

ARTICVLVS III.

Verum sacramenta nouae legis contineant gratiam.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod sacramenta nouae legis non contineant gratiam: contentum enim videtur esse in continente. Sed gratia non est in sacramento, neque sicut in subiecto, (quia subiectum gratiae non est corpus, sed spiritus) neque sicut in vase, quia vas est locus mobilis, ut dicitur 4. Physic. Esse autem in loco non conuenit accidenti. Ergo videtur, quod sacramenta nouae legis non contineant gratiam.

4. dist. 2. arti. 4. q. 4. S. ver. q. 27. arti. 7. Lib. 4. text. 4. l. 100. 2.

2. Præterea, Sacramenta ordinantur ad hoc, quod homines per ea gratiam consequantur. Sed gratia, cum sit accedens, non potest transire de subiecto in subiectum. Ergo pro nihilo esset gratia in sacramentis.

3. Præterea, Spirituale non continetur a corporali, etiam si in eo sit. Non enim anima continetur a corpore, sed potius continet corpus. Ergo videtur, quod gratia sit quiddam spirituale, non continetur in sacramento corporali.

Sed contra est, quod Hugo de sancto Victore dicit, quod sacramentum ex sanctificatione inuisibilem gratiam continet.

Lib. de sa. crament. p. 19 cap. 1.

Respondeo dicendum, quod multipliciter aliquid dicitur esse in alio: inter quos duplici modo gratia est in sacramentis. Vno modo sicut in signo, nam sacramentum est signum gratiae. Alio modo sicut in causa, nam sicut dictum est, Sacramentum nouae legis est instrumentalis gratiae causa. Unde gratia est in sacramento nouae legis, non quidem secundum similitudinem speciei, sicut effectus est in causa vniuoca, neq; etiam secundum aliquam formam propriam & permanentem & proportionatam ad talem effectum, sicut sunt effectus in causis non vniuocis, puta, res generata in sole: Sed secundum quandam instrumentalem virtutem, quae est fluens & incompleta in esse natura, ut infra dicitur.

Art. præced.

Art. sequens.

Ad primum ergo dicendum, quod gratia non dicitur esse in sacramento, sicut in subiecto, neque sicut in vase, prout vas est locus quidam, sed prout vas dicitur instrumentum alicuius operis faciendi, secundum quod dicitur Ezech. 9. Vnusquisque vas interfectionis habet in manu sua.

Ad secundum dicendum, quod quantum accidens non transeat a subiecto in subiectum, transeat tamen a causa per instrumentum aliquo modo in subiectum, non ut eodem modo sit in eis, sed in vnoquoq; secundum propriam rationem.

Ad tertium dicendum, quod spirituale existens perfecte in aliquo, continet ipsum, & non continetur ab eo. Sed gratia est in sacramento secundum esse fluens & incompletum. Et ideo non inconuenienter sacramentum dicitur continere gratiam.

In hoc articulo nullam rem nouam declarat D. Thomas, sed solum explicat hunc loquendi modum, quo nihil aliud significatur, quam sacramenta ha-